

*Veneti prævalida Turcarum classe distinerentur, triremibus quinquaginta Regi suppetias ferrent. Eodem vinculo Rex, Venetis aliquid in Adriatico sinu adversus Turcas molientibus, obstringeretur; subsidia ea lege tantum exhiberentur, si is, qui peteret, majores auxiliaribus copias comparasset. VI. In quas regiones hostes impetum facerent, eas tutari fœderati tenerentur; in primis vero Ecclesiæ ditiones defendere, eamque ob causam expeditiones in hostem cœptas possent intermittere. VII. Impensarum dimidiam partem Rex erogaret; alterius dimidiæ tripartito distributæ, tertiam Pontifex, binas Veneti conferrent. Quoniam vero sumptibus exhausta Apostolica Sedes, ægre id oneris ferre posset, cui parti Pontifex non sufficeret, eam Philippus ac Respublica eadem ratione supplerent, ut nempe ex tribus duæ Regi, una Venetis portio obtingeret: qui præterea triremes duodecim, tormentis, atque armamentis adornatas Pontifici exhiberent; ipse milite, ac remige, & commeatibus instructas educeret; bello confecto, qualescumque essent, restitueret. VIII. Quæ res fœderatorum cuiuspiam suppetere, alteri deessent, ab iis, qui abundarent, in communes usus erogarentur, atque æquis compensationibus par expensi, acceptique ratio fieret. IX. Frumenta, certo moderatoque vectigali constituto, undique exportandi facultas, atque ex iis potissimum locis, quæ magis opportuna forent, incolarum prius habita ratione, sociis permetteretur; nemini avehere frumentariam annonam fas esset, antequam, quod ex eorum usu esset, fœderati comparassent. X. Joanni Austriaco summa imperii concederetur: eo absente, Marcus Antonius Columna vicarius cum eadem auctoritate succederet, imperatorisque pontificii nomine uteretur. XI. In consiliis de bello capiundis tres fœderatorum Principum præfecti convenirent; quidquid majori ex parte decerneretur, id ratum, firmumque foret; fœderis vero imperator mature conficiendum curaret. XII. Si qua inter fœderatos Principes controversia suboriretur, ea Pontificis iudicio, atque arbitrio permetteretur; neque interea a belli administratione cessaretur, neve fœdus abruptum censeretur. XIII. De iis, quæ in nostrorum potestatem bello concederent, hostium oppidis, urbibus, ditionibus inter fœderatos dividendis ex societatis anno 1537. iactæ legibus decerneretur. XIV. Maximiliano Cæsare, Carolo Gallie, Sebastiano Lusitanie Regibus fœderi*